



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Iosephina Lvcernensis**

**Reiß, Jacob  
Tschan, Jacob**

**Constantiae, 1658**

94. Postremis Ecclesiae temporibus vaticinio promissus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9773**

Igitur tria hæc, Dominium, inquam, Paternitas, & Sanctitas summa, verè competunt IOSEPHO.

Neque iam scio quid aliquis adhuc, nisi sui, quàm IOSEPHI amantior, opponere possit. At quis esse velit, nisi similis Hæreticis, quorum hæc non infima cura est, abrenunciare Sanctis. Hi sanè re ipsa usurpare videntur illa fratrum Iosephi, de hoc nostro, verba Gen. 37. v. 29. *Ecce somniator venit, venite occidamus eum, auferendo Religiosam memoriam eius, & mittamus in cisternam veterem oblivionis. Dicemusq; fera pessima, hæresis nempe, devoravit eum: Et tunc apparebit, quid illi prosint somnia sua.* At ô mi Deus, averte impius has voces à tuo meoque IOSEPHO; quem Filius tuus, ac Mater Filij, per obedientiam ac reverentiam præstitam, non recusarunt adorare; quem etiam tu ipse tantopere polymitâ veste Virtutum ac Gratiarum exornasti, ut dici possis diligere IOSEPH super omnes filios tuos, quemadmodum olim Israël suum v. 3. dilexit.

## ELOGIUM XCIV.

## IOSEPH

Postremis Ecclesiæ temporibus vaticinio promissus.

**N**imis multa non cognoscuntur à multis, quæ tamen sunt. At cognoscuntur tamen omnia ab unô omnium principiô, Deo ter Optimo, ac

ac Maximo. Hic deinde in nos, qui inde procedimus, ceu particulam auræ divinæ, dispensat cognoscendi vim cuius accomodam, placitam sibi. Si ergo IOSEPH olim pauci cognoverunt, non est id vitium eius, aut imminutæ gloriæ signum, sed opus dexteræ excelsi. Nec propterea minor se ipso fuit, minúsq; magnus, gloriosus, & Sanctus. Adhuc enim illum ab æterno elegit Deus in Patrem Filij sui; adhuc & Filius in eundem consentit; Virgòque MARIA, in virum, Dei nutu, assumpsit. Atqui hæc nonnisi cum respectu ad cognitionem facta sunt. Præcessit ergo in ijs cognitio, & ea quidem ex bonitate obiecti cogniti, movens ad huiusmodi electionem, consensum, & assumptionem. Neque enim nisi idoneus placere eligenti, consentienti, atque assumenti potest. Quid igitur nunc amplius desideret IOSEPHVS, quem idoneum summæ dignitati cognovit Deus; Dei Filius, ac MARIA; cognitumque evexit, & ad-amavit. Sed tamen, tres isti præcipui amatores, accendere subinde suâ luce, flammâque amoris, mortalium aliquos, qui, cùm & ipsi concepissent ignem, neq; tamen idoneam ignis materiem reperissent, libros super IOSEPHI laudibus scripsere; sermones ad populum instituere, Fraternitates erexere.

Quia tamen nonnisi paucis quidquam persuasum est, enimverò fatiscentem sub eò ardore animum, vaticinijs ac spe proventuræ aliquando messis sustentabant. Quorum vaticiniorum eventum,

tum, quæ Dei miseratio est, nostra nunc videt ætas, cœpitque videre antecedens, incitata exemplis S. Terefiæ, B. Caspari Boni, B. Margaretæ de Castro, B. Agathæ de S. Cruce, Francisci de Sales, Balthasaris Alvarez, Alphonsi Rodriquez, de quorum plerisque egregiè differuit Barry. cap. 5.

Verum ego iam aliud non ago, quàm ut seræ posteritati promissum esse IOSEPHVM demonstrarem: Sic enim fiet, ut quidquid hæctenus ad gloriam eius laboratum est, & laborabitur deinceps promptiore animo suscipiatur; *stat autem in ore duorum, vel trium testium, omne verbum.* Matth. 18. v. 16. duos ergo minimum, si producam, amplius exigere à me nihil iure potest.

Ac 1. Gerson Cancellarius, uti ætate, ita doctrinâ prior comparet, qui in tract. 12. super Magnificat, in fin. hæc sub annum Christi 1420. in persona MARIÆ habet. *Veniant generationes, quando scribet aliquorum devotio plurima super istis pie speculanda; multa prosaice; quadam heroico carmine: cui IOSEPHINA nomen erit: quadam aliter, & aliter. Nonnulli de laudibus iusti virginalis Sponsi mei, fidiſsimiq; custodis, & testis delegati, multa suæ posteritati legendo relinquent, statuent Consummationem in ipsius pretiosâ morte, quâ presentibus filio meo, & me, pièq; flentibus, appositus est ad patres suos in senectute bonâ, cuius memoria in generationes seculorum.*

2. Gersonem sequitur Isidorus Isolanus ex S. Dominici Ordine, Vir æquè doctus ac pius. Hic in vita S. IOSEPHI part. 3. c. 6. ante annos 150. spiri-

Spiritus Sanctus, inquit, non cessabit excitare corda fidelium, donec Ecclesia militans universa exultabunda, divino viro IOSEPHO novos honores decernat, monasteria adificet, templa & altaria ad venerationem eius erigat. Eius honorandi causâ festa instituentur, multi vota vovebunt Domino, & reddent. Dominus revelabit interiores auriculas cordium, & intellectus magnorum & excellentium virorum, mysteria Dei explorandi, quæ in S. IOSEPHO latebant, & inveniendi pretiosum thesaurum, quæ in SS. Patribus veteris Testamenti non potuerunt reperire, tanta enim copia spiritualium donorum in S. IOSEPHO emicuit, ut ei par alibi reperiri non possit. Hæc Isolanus. Quæ ego quidem tanta ubertate impleri cupio, ut ijs, qui me in laudando IOSEPHO secuturi sunt, etiam corrigiam calceamentorum solvere paratus sim. Dum enim Sanctum hunc, unâque me, considero, ille mihi lux est, & ego ne quidem umbræ vicem rectè sustineo.

## ELOGIVM XCV.

## IOSEPH

Diu olim à paucis agnitus.

**M**irissimum mirum mihi aliisque est, IOSEPHVM à tam paucis tot annorum decursu agnitum fuisse. Nam 1. ipsum Spiritus S. immediatè primùmq; omnium canonizavit Matth. 1. v. 19. 2. Eîdem MARIA Dei Mater humilitatis